Zu der

am 31. Merz und 1. April 1871

abzuhaltenden öffentlichen Prüfung

der

SCHÜLER DES KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS

zu

MARBURG

ladet ergebenst ein

in Vertretung des Directors

Prof. Dr. COLLMANN.

Inhalt: 1. Abhandlung vom Hülfslehrer *Wiskemann*: De Pindari carmine Olympico VI. et Pythico II.
2. Schulnachrichten von Prof. *Collmann*.



Marburg.
N. G. Elwert'sche Universitäts-Buchdruckerei.
1871.

De

Pindari carmine Olympico VI.

disputatio.

»Aureas bene exstructo domus vestibulo subjicientes columnas aedificemus, veluti si praeclaras aedes faciamus, incipientis enim operis frontem decet ponere splendentem; si quis autem sit Olympicus victor araeque fatidicae praefectus Pisae et inter conditores celebrium Syracusarum, quemnam ille defugiat hymnum, nactus eum non invidorum civium inter desiderabiles cantus?«

His verbis incipit Pindari carmen Olympicum sextum conscriptum in Agesiam, Sostrati filium, Syracusium, qui Olympia vicit secundum Boeckhii rationes Ol. 78, quod num fuerit victoriae tempus, non absque dubio est. Neque vero hic de temporibus carminum Pindari disputare mihi proposui, qui cum primo in hanc quaestionem late patentem hoc libello uberius inquirere in animo habuerim, nunc officiorum oneribus pressus eo sim delatus, ut confectionem inchoati operis desperans pauca, quae forte fortuna se obtulerunt, delecta tractare instituam.

Agesiae igitur victoriam Pindarus epinicio celebraturus in opere instituendo, quo fiat spectabilius, architecti ratione dicit utendum esse, qui aureas columnas aedium vestibulo subjiciat. Quod opus quale intellegendum sit, viri docti valde discrepant. Sunt enim, qui aedibus respondere velint hoc ipsum epinicium, ut columnae aureae sint verba in primordio posita, quae splendore suo, ut columnae aedes, carmen insigne reddant. His adversatur vir verae poesis vel intellegentissimus, in Pindaro perscrutando idem subtilissimus, L. Schmidtius, praeceptor meus dilectissimus. Is in libro, quem inscripsit: »Pindars Leben und Dichtung« p. 275 sqq., ubi de versibus 82—91 disputat, in iis explicandis eo ducitur, ut Pindarum totum carmen suum vestibulum quoddam intellexisse contendat h. e. initium splendidum festi diei, qui in Junonis honorem Stymphali in urbe Arcadiae habitus et post epinicium cantatum aliis deinceps hymnis, imprimis hymno in Junonem a poeta quodam Arcadiae, Aenea, confecto celebratus sit. De quo loco postea accuratius videamus; nunc hoc unum praecipiendum videtur, neque diem

deae sacrum verisimile esse ab alio atque hymno carmine ordiri, neque quod versibus 88 et 89 choreutae (*ἑταῖροι*) *primum* Junonem Stymphaliam canere *deinde* judicare jubentur, num Pindarus vetus Boeotorum opprobrium de sue effugiat, Schmidtii sententiae favere, cum judicium illud non potuerit non in id tempus cadere, quo epinicium canebatur.

Sed revertamur ad carminis exordium, quod fortasse recte interpretabimur, si aliud quoddam carmen cum hoc comparantes ab hujus tempore non nimis remotum, prout diversa in carmine fuerit tractanda materies, diversa eam Pindarum induisse forma atque habitu invenerimus; quod tamen non demonstrandi sed declarandi causa faciendum puto. Carmen Olymp. I sis evolvas, cujus summa ea est, ut ludorum Olympicorum laudes praedicentur, ipsius Hieronis victoris laus oblitescat. Itaque et splendidissimo exordio Olympiorum dignitas canitur, quae ut sol inter cetera sidera splendeat, omnibus ludis gloria facile antecedant, et totum carmen in his laudibus versatur. Quodsi victor justus dicitur et opulentus et omnibus virtutibus a dignitate regia non alienis libere inserviens, haec attributa ad totius carminis argumentum nullius sunt momenti, cum in epinicio poeta atque eo regi amplissimo conscribendo tantum ejus praedicandi muneri, quod detractare non poterat, satisfecerit, cum institutis autem a Pelope Olympiis illae virtutes minime conjunctae videantur. Quo accedit quod deus, qui versu 106 Hieronis studiis equestribus favere dicitur, non deus est, qui cum gente Hieronis antiquitus sit conjunctus et recentem hanc familiae gratiam propter majorum merita praebuerit.

In carmine Olymp. VI omnia quam sunt diversa! Ubi poeta cardinem rerum versari voluerit, in unoquoque carmine facile cognoscimus si animum adverterimus, in qua parte ad res mythologicas descendat; nam qui diligenter poetam hunc suavissimum legerit, sibi persuasum habebit, illis fabulis eum tum uti, cum res praesentes luce e mythicis temporibus deprompta tamquam dilucidiores reddere conatur. Itaque in carmine Olymp. I. totus mythus de institutione ludorum Olympicorum est, in carmine sexto cum Agesiae fortunae et Jamidarum genti, e qua ille est, fabulae mythicae sint admixtae, dubitari nequit, quae res sint in hoc carmine primariae. Atque primum quidem Agesiae virtus Amphiarai exemplo exornatur, maxima deinceps pars carminis in illustranda Jamidarum gentis origine atque sorte ejus fatidica versatur. Huic addas omnia ea, quae poeta Agesiam laudans dicit, tam arcte cum tota carminis compositione connexa esse, ut non modo nihil abundare, sed ne demi quidem quidquam posse dicas, si carmen recto pede stare velis. Victoria enim Olympica, qua nihil accidere potest insignius, Agesias nuper apud homines gloriam consecutus est; inter conditores Syracusarum numeratur; idem antiquitus tota cum gente vaticinii muneribus Pisae fungitur. Neque vero forte fortuna, ut fit, gloriae particeps factus est, sed multis laboribus et molestiis eo pervenit, ita ut dignus sit, qui cum Amphiarao, vate optimo et bellatore, componatur vates et ipse bellicaque virtute excellens.

Sed hanc victoriam non sine Jamidarum auxilio adeptus est, qui multis saepe et piis precibus sacrificiisque secundum versus 77—81 Mercurium, ludorum praefectum, propitium reddiderunt; cujus pietatis Agesias nunc fructus capit. Genti igitur Agesias gloriam debet, in gentem vice versa Agesiae gloria emanat.

Neque tamen hac sola re Jamidarum laus continetur. Altera carminis pars inde a versu 29 usque ad versum 81 tota, ut supra dixi, ad hujus gentis divinam claritatem spectat, in

qua poeta venustissimus tantum voluptatis et percipit et praebet, ut totius carminis summam esse Jamidarum laudem appareat.

Discrimen igitur inter carmen primum et sextum in eo est, quod in illo ludi, in hoc persona Agesiae et gens ejus praedicatur; quare in illius initio poeta dicere potuit:

μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν,

hic jure suo quaerit:

εἰ δ' εἴη μὲν Ὀλυμπιονίκας,
βωμῷ τε μαντείῳ ταμίας Διὸς ἐν Πίσᾳ,
συνοικιστὴρ τε τᾶν κλειναν Συρακοσσᾶν, τίνα κεν φύγοι ὕμνον
κεῖνος ἀνήρ, ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς;

Quibus in verbis id mihi invenisse videor, quo vera interpretatio exordii nitatur. Nam cum primo ambiguus fluctuarim, utrum versum 88 intuens hymnum Junonis quasi vestibulum festi diei judicarem, an sententiae, quam supra indicavi, eorum astipularer, qui carmen aedes, ipsa initii verba columnas aureas esse volunt, verba illa ad has cogitationes me duxerunt: Incipit poeta his verbis: initium splendidum faciamus, velut si aedes fulgente vestibulo ornemus. Quodsi pergit: *εἰ δ' εἴη μὲν Ὀλυμπιονίκας* etc. quis est, quin in his verbis hanc cogitationem latere sentiat? *si is, qui laudandus est, cui tanquam aedes exstruimus*, talis sit, qualis Agesias est, eo magis illud de vestibulo praeclaro praeceptum adhibendum est, atque cantu quidem ille, pergit, quam potest fieri optimo canendus, cum sit nullo cantu non dignus (*τίνα κεν φύγοι ὕμνον κεῖνος ἀνήρ;*). Duo igitur sunt, quae efficere poeta in animo habet, primum ut artificem imitetur et hoc ut quam splendidissime faciat.

Cum autem meminerimus ea, quae supra de Jamidarum laude disputavimus, non difficile erit intellectu, quid poeta sibi voluerit: nam Jamidarum laudi Agesiae laudem tanquam vestibulum adjungit, ut haec primo loco collocata velut antica pars totum carmen insigni luce perfundat.

Id quam venuste Pindarus effecit quamque graviter! Praeclare profecto est excogitatum, quod Agesiam alterum Amphiaraum nominat, lumen, ut illum Adrasti exercitus, et ipsum Syracusarum et Jamidarum gentis! Quo quid potuit inveniri insignius? Neque eam vulgarem laudem poeta voluit esse laudaturus, et aliquatenus se in laudando modum excessisse, certe nova se quadam in epinicio conscribendo ratione usum esse, ipse indicat, cum e verbis ejus facile colligamus eum non defuturos putavisse, qui ipsum vituperent. Versu enim 19 sq. dicit, postquam Agesiae cum Amphiarao comparationem ad finem perduxit:

οὔτε δύσηρις ἐὼν οὔτ' ὢν φιλόνεικος ἄγαν
καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις τοῦτό γέ οἱ σαφέως
μαρτυρήσω· μελίφθογγοι δ' ἐπιτρέψοντι Μοῖσαι.

Quibus verbis poeta videtur magnum se et audax aliquid locutum esse aperte confiteri. Audax illud quale sit, quosque audacia illa offendere potuerit, nunc est explicandum.

Ne de invidia dicam aliorum poetarum tot Pindari carminibus castigata eorum, quos ipsa Pindari vis poetica ut stimulus pungebat, insigne illud et audacter dictum de Agesiae cum Amphiarao similitudine nonne uni alterive audientium nimium videri potuit? Eone pertineat, quod poeta affirmat se minime esse rixosum et jurejurando illud contendere? Nonne ut Agesiae laudem nimis exaggerare ita de Amphiarai dignitate decerpere poeta a nonnullis potuit dici?

Contra hos poeta rem extra dubitationem et contentionem positam esse dicit, sicut etiam Hermanno est visum. Sed inest mea sententia et hoc: fremant omnes licet, dicam quod sentio: quamquàm non sum rixosus et omnem litem evitare studeo, hoc tamen, quod rixam mihi moturum jamjam video, non possum supprimere.

At aliter quoque hic locus explicari potest. Nam si statuimus poetam illis verbis se ab offensionis culpa liberare voluisse, cum nemini se injurias inferre velle diceret, non absonum est hanc excusationem propter Hieronem Syracusarum regem factam judicare, quippe qui cum et ipse fortis esset et trium deorum sacerdos, facile eo duci potuerit, ut eximiam illam Agesiae laudem in malam partem acciperet; ad quam sententiam stabiliendam etiam illud aliquis proferre possit, quod in tertia carminis parte versu 95 Hieronis laus in sacerdotiis enumerandis potissimum versatur. Atque etiam magis illa excusatione opus erat, si eadem, qua Agesiam, Olympiade Hieronem Olympia vicisse constaret, quod sunt qui suspicentur.

Restat ut de tertia, quam jam proponam, explicandi ratione pauca dicam. Videmus poetam versu 90 magni sua interesse profiteri, ut illud Boeotorum de sue opprobrium effugiat. Hoc autem quamquam proprie cadit in Boeotorum adipale quoddam dicendi genus, tamen cum meminerimus Pindarum quondam admonente Corinna, quod carminibus fabulas mythicas non immisceret, in contrarium vitium cecidisse et eidem se vituperio obnoxium reddidisse, quod alio tempore in certamine Corinnae obtrusit, suis Boeoticae, quidni de agresti et inconcinno mythorum usu hunc jocum intelligamùs? Quid, si Pindarum adversus eos se vertentem, qui tali imagine mythica statim in initio uti inscitum et pingue appellabant, ad illam se licentiam animo suo putemus dicere impulsum? Ab hoc loco fortasse non alienum est conferre Nem. IX, 49 Nem. VI, 30 et Nem. VII, 50, quibus locis audacter se loqui poeta affirmat, et imprimis Nem. VIII, 20, quo loco poeta, postquam paullulum in cursu substitit ut magnum aliquid dicturus:

πολλὰ γάρ, inquit, *πολλᾷ λέλεκται· νεαρὰ δ᾽ ἐξευρόντα δόμεν βασάνῳ*
ἐς ἔλεγχον ἅπας κίνδυνος· ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖσιν.

Non admodum diversa videtur ejus loci, de quo agimus, ratio, si statuimus poetam, cum aliter Agesiam laudare potuerit, audaci usum esse ratione et ab invidia non prorsus aliena. Quoniam autem Pindarus identidem animum se ad canendum impellere (*θυμὸς ὀτρύνει*), Musas contra carmini bene formando praeesse dicit, inveniendi igitur, ut ita dicam, illum auctorem, has disponendi et elòquendi facit; cum hoc loco Musas dicat permissuras esse, ut Agesiam tali modo praedicet, nonne hoc ita intellegi potest, ut poeta Musas ipsi indulgentes rationem suam, quae tantum ad formam epinicii pertineat, victoris dico cum Amphiarao comparationem, probaturas et suem Boeoticam a se defensuras esse contendat? At ne quis illam imaginem longius ab exordio abesse dicat, quam quae possit esse ejus ipsius pars et tanquam vestibuli summus splendor; tantum abest, ut iis, quae antecedunt, interpositis nexus verborum turbetur, ut ea laudem velut per gradus ad summum fastigium perducant.

Aggredimur nunc ad eam quaestionem, quid de difficillima hujus carminis parte inde a versu 81 usque ad versum 91 judicandum censeamus, ante omnia, qui sint ἑταῖροι illi et Aeneas habendi. Quod non nimis difficile est dijudicare, cum animum adverteris ad versum 7:

ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς,

qui ἀστοί non sunt omnes cives, sed certus numerus eorum, quibus invidia carentibus versu 74 opponuntur invidi. Cui sententiae non obstant ea, quae paullo post in universum dicta ad laudem augendam addita sunt:

πολλοὶ δὲ μέμνανται καλὸν εἴ τι ποναθῇ,

quibus fere hoc inest: et eo minus ἀστοί illi tibi invident, cum omnino ab hominibus ea, quae periculis et laboribus comparata sunt, laude digna duci soleant. Conferas etiam versum 99, quo Hiero cantorum turbam e patria Arcadia in patriam Syracusas revertentem benigne excipere jubetur. Ἀστοί igitur illi sunt gentilicii Agesiae e Jamidarum gente, qui et Syracusis et Stymphali, unde gens erat oriunda, domum habebant, amici, comites, necessarii victoris, qui cum alii homines invidia capiantur (v. 74), invidia in Agesiae victoria carent (ἄφθονοι). Aeneam autem cum Hartungio persuasum habeo et ipsum e Jamidis fuisse, qui chorum instruxerit, quamquam num hoc munere semper functus sit in dubio relinquo. Neque enim chori magistrum pecunia conductum eum cum scholiasta dixerim, et cur hymni auctorem eum nolim putare ex iis, quae dehinc disputabo, apparebit. Quaeritur enim, quod sit imperativi ὄτρυνον νῦν ἑταίρους subjectum. Secundum vulgarem interpretum sententiam Aeneas est is, qui socios a poeta jubetur ad canendum incitare, neque contra naturam est hoc statuere. At cum consideramus, qualia Aeneae illi in versibus, qui insequuntur, appositive, ut ita dicam, attribuantur:

ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός, ἠϋκόμων σκυτάλα Μοισᾶν, γλυκὺς κρατὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν,

non poterimus cum Schmidtio nostro non consentire, qui illis imaginibus Aeneam pessime notatum esse intellexit. Ejusdem viri doctissimi de hoc loco sententiam cum cognoscerem, non satis potui sagacitatem, qua est excogitata, admirari. Cotis enim in versu 82 memoratio Schmidtium eo adduxit, ut certamen aliquod Pindaro cum alio quodam poeta Stymphalio fuisse contenderet, non proprium id cum ejusdem carminum generis poeta, sed cum hymni, qui versu 89 memoratur, auctore Aenea. Hanc rem vir ille dicit Pindaro stimulo fuisse, et Aeneae Pindarum ea, quae ad deorum cultum pertinerent, canenda libenter concessisse, cum sibi ipse epinicium sumeret canendum. Huc etiam referendum esse, quod versu 19 dicat, se non esse ad rixam promptum; quamquam equidem non perspicio, quid epinicio cum hymno sit, ut sit causa rixandi. Quoniam autem Pindari multum interesse debuerit, ut carmen ejus ab Aenea et ejus choreutis probaretur, Schmidtius ipsum poetam putat illos jussisse primum hymnum Aeneae canere, deinde judicare num Pindarus opprobrium Boeotorum evitet, ipsum poetam dico, nam verba: ἐσσὶ γὰρ — ἀοιδᾶν Schmidtius ita intellegit, ut poetam se et carmen suum una persona comprehendisse, vocativo igitur casu verba σκυτάλα Μοισᾶν et γλυκὺς κρατήρ intellegenda arbitretur. Qua in re ideo offendo, quod verba in vocativo posita, quae poetica imagine — ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός — e Schmidtii ratione exornantur, non propriae sunt carminis significationes, sed et ipsa imagines. Praeterea autem qui ferri potest, quod, cum Schmidtius velit epinicium diei festi exordium esse, tum demum hymni choreutae de epinicio judicare jubentur, cum hymnum jam cecinerint?

Nam judicium non eodem, quo epinicium cantum sit, tempore faciendum fuisse, equidem mihi nullo modo possum persuadere. Quid quod vocabulis *ἄγγελος* et *σκυτάλα* internuncii cujusdam notionem inesse exspectamus, cui ut epinicium bene excipiatur et probetur, efficiendum sit, quod, ut taceam de impulsis ad hymnum canendum choreutis, ab ipso carmine postulari nequaquam potest?

Alium igitur vocativum desideramus, quo is compelletur, cujus opem poeta implorat ad animos sibi conciliandos. Quamquam autem in hac quaestione a Schmidtio stare nequeo, tamen magnas ei me gratias habere libenter confiteor, quod de certamine quodam cogitationem in me primus excitavit; quod quale sit, nunc liceat proponere. Quaeritur hoc loco imprimis de explicatione versuum 82 et 83, de quibus fere quot interpretes tot sententiae. Ut taceam de scholiis, Boeckhius versus in hunc fere modum vertit: videtur mihi ad linguam esse cos acute sonans et stridula, quae mihi linguam acuat et *ad dicendum id quod dicturus sum excitet* sub dulcibus carminis et instrumentorum sonis; scl. avia mihi est Metopa Stymphalia, Thebes matris meae mater. Quam explicationem Pindaro indignam esse Hartungio facile concesserim, quamquam quod idem in virum eximie de Pindaro meritum tali modo invectus est, nunquam probabo. Quod Hartungius ipse vertit: Ich stehe in dem Anschein oder Ruf eines scharfen Wetzsteins, oder meine Zunge ist geschliffen, quod comparat cum Pyth. I, 87: *ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν*, id si poeta voluisset, haud scio an non *δόξαν ἔχω τιν' ἀκόνας*, sed *ἐπ'ἀκόνᾳ* h. e. propter cotem, auf Grund eines W. scripturus fuisset. Schmidtii jam supra vidimus sententiam. Bergkius *δόξαν ἔχω τινά* ferri non posse contendens scribendum censet: *δόξαν ἔχω τὶν ἐπὶ γλώσσᾳ ἀκόνας λιγυρᾶς* et vertit: putas mihi acutam cotem in lingua esse. Bene etiam T. Mommsenius hunc in modum explicat: Ich habe — auf der Zunge! — (statt vor Augen!) eine Art von Trugbild eines klingenden Wetzsteins, welches an mich den willigen heranwandelt mit (sive zu) schön rauschenden Klängen. Sed tantum abest, ut omnium recensere sententias et novas lectiones proferre velim, praesertim cum etiam in altero versu: *ἅ μ' ἐθέλοντα προσέλκει καλλιρόοισι πνοαῖς* magnopere discedant interpretes, ut satis habeam docuisse, quanta opinionum diversitas sit, et quae mihi inesse videatur sententia, brevi exponere.

Pindari consuetudo fert, ut ludos sacros sibi incitamentum esse dicat ad canendum. Conferas sis Olymp. I, 8: *ὅθεν* (*ἀπ' Ὀλυμπίας*) *ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται σοφῶν μητίεσσιν*, et Olymp. III, 10: *τᾶς ἄπο* (*ἀπὸ Πίσας*) *θεύμοροι νίσσοντ' ἐπ' ἀνθρώπους ἀοιδαί*, ibidem quod poeta versu 7 dicit victoriam a se poscere *τοῦτο θεόδματον χρέος, φόρμιγγά τε ποικιλόγαρυν καὶ βοὰν αὐλῶν ἐπέων τε θέσιν — συμμῖξαι*, nonne dicas huic cum nostro loco summam similitudinem esse? Sed cave putes Pindarum hic de victoria cogitasse, ut qui talia semper in initio carminis posuerit. Versu 81 autem proprium epinicium h. e. laus Agesiae et Jamidarum ad finem perductum est et restat, ut poeta de se et de loco, ubi canetur, et de canentibus dicat. Quas res extra epinicii fines positas cum tractaret, nihil ei magis cordi esse debebat, quam ut carmen suum probaretur eoque id magis, quod Stymphali, Arcadiae in oppido, victoria celebrabatur, qua in regione fortasse tum primum Pindari chorus exhibebatur, et ubi placere Pindari Thebani mirum quantum intererat. Intercedebat igitur inter Boeotum cum toto populo suo apud Graecos male audientem et Arcadiam cantibus minime destitutam certatio quaedam, cui ut optatum eventum daret, neque a se neque ab Aenea neque ab ullo homine, sed tantum a numine, a persona divina impetrare poterat. Cujus cum auxilium

implorandum esset, Pindarus, quamquam exspectamus in extremo carmine, quo res quodammodo extraneae tractantur, eum tenui dictionis genere uti, tamen mira vi poetica elatus etiamtum evolat neque ad id solo numinis illius, Metopae, conciliandi studio adductus, sed etiam pietate commotus, ne matre Thebes, ipsius matris, indignus videatur.

Duo igitur sunt, quae Pindarum absolutis victoris et Jamidarum laudibus maxime movent, primum illa cum Arcadia in poesi aemulatio, qua affirmat linguam sibi tamquam cote stridula acui et excitari ad dulces cantus, qua imagine prorsus similiter utitur in carmine Isth. V versu 73 ad indicandum certorum hominum in iisdem studiis certamen; deinde propinquitatis, quae sibi sit cum Metopa, Arcadiae rivulo, recordatus eam sibi benevolam et carmini faventem reddere studet laudem ei non invidens. Nam quod dicit: *ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθὸς, σκυτάλα Μοισᾶν, γλυκὺς κρατὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν*, haec omnia ad Metopam referenda videntur; quorum primum et secundum ad interpretis et internuncii munus, tertium, quod omnino inscite de homine et persona usurpatum esset, ad Arcadiam cantibus florentem pertinet et ad fontem illum aqua sua poetam inspirantem, aeque ac Pindarus Thebes aquam se bibere dicit. Verbum *πίομαι* enim jam propterea futuri notionem non potest habere, quia poeta soli Agesiae non compluribus *αἰχματαῖσι* carmen scripturus est. Cujus autem auxilium poeta potius implorare poterat quam aviae Metopae? quae quidem res a nostro sensu abhorret, graeco poetae est aptissima. Cum Bergkio igitur ut fiat *Ματρομάτωρ ἐμὰ Συμφαλίς* vocativus, in versu 15 verbum *ἔτικτεν* corrigas in *ἔτικτες*, et omnia plana fient. Omnia quae de hoc loco disputo, prius jam inveni, quam illius viri docti perspexeram sententiam, cujus consensu gavisus quod eo plus voluptatis e mea interpretatione cepi, quis est, quin mihi condonet?

Jam de iis erit disputandum, quae poeta a Metopa avia impetrare studet. Tria haec sunt: primum ut Aeneae sodales ad hymnum in Junonis honorem canendum incitet, alterum ut impellat eos *γνῶναι ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσιν λόγοις εἰ φεύγομεν — Βοιωτίαν ὗν*, tertium ut Hieronis et Syracusarum mentionem interponat. Quorum primum ab epinicio prorsus alienum, tertium comitatis et amicitiae est, cum alterum totam vim contineat, nam hoc ante omnia Pindarus assequi studet, ut placeat. In quo offendit, quod solum chorum Metopa jubetur impellere, ut judicet, cum verbo *γνῶναι* hic non insit notio manifestum faciendi, ut Boeckhio visum est, sed nulla alia vis atque cognoscendi sive dijudicandi, et ab omnibus se, qui audiebant, probari poetam voluisse putemus. Sed vera hujus poetae intelligentia non raro eo difficilis fit, quod, quomodo homines chori cantibus moti et affecti sint, nobis repraesentare et cogitatione assequi non facile possumus, cum res sit a nostra aetate admodum aliena. Quod cadit in omnes eos locos, quibus poeta de se ipso loquitur, ubi totum effectum et tanquam cursum carminis putaveris minui, neque minus in eos, ubi choreutis, ut in Olympico sexto, praecepta dantur. Quodsi hic per chorum Hieronis mentio fit et ea ipsa verba, quibus haec adhortatio inest: *εἰπὸν μεμνᾶσθαι*, idem ille chorus canit, qua hoc putaremus esse in audientes vi, nisi illos statueremus in chori cantu tam defixos haesisse et tantopere idem cum eo sensisse, ut quemadmodum ad chorum ita ad se hanc adhortationem referrent? Quae res fortasse in eo causam habet, quod nostrae aetatis homines tota sentiendi et cogitandi ratione maximopere differunt ab antiquitatis hominibus, qui sensu plus valebant quam ratione et sicut puerilis aetas naturam sequentes iis, quae se offerebant, facilius commovebantur, cum nostrorum sit hominum ad omnia rationis leges afferre et cogitare, ubi illi sentiebant. Accedit quod

Graecorum chorus a nostra consuetudine prorsus abhorret, quem sacris temporibus fere servientem, quibus animi facilius movebantur, tali puto in Graecos fuisse vi, quemadmodum nunc quoque animus intranti templum alius fit et inter preces sacrasque cerimonias tanta religione perfunditur, ut sacerdotis verba e suo quisque animo deprompta et pro se dicta existimet. Accidit igitur, ut omnes tanquam in unam personam coalescant et sui quisque oblitus, quod in alium pertinet, in se dictum putet, sive ut vernacula lingua utar: Das Mittelbare wird unmittelbar empfunden. — Quod modo dixi verbo *μεμνᾶσθαι* adhortationem inesse, ne mireris, pauca de illo loco addenda videntur. Quamquam enim primo intutu dubitari potest, utrum poetae an chori sit Hieronis meminisse, Hartungius vero neutram harum sententiarum probans pro imperativo *εἰπὸν* legi vult indicativum *εἶπον* et vertit: ich sagte, gab den Auftrag, sich des Hiero zu erinnern scl. internuncio Aeneae; primum Hartungio non possum assentiri, cum poetam, qui modo ad praecipiendum velut ad praesentem Aeneam se vertens directa jubendi forma, imperativo dico *ὄτρυνον*, usus sit, paullo post cogitatione in praeteritum tempus relapsum ita de Aenea locutum esse, quasi is ab ipso remotus eo loco, quo mandata ei exigenda erant, versaretur, mihi persuadere non possim; neque si intellexeris, ad impellendos choreutas internuncium recte adhiberi, ad indicandum memorem poetae animum eo non opus fuisse, praeterea nos exspectare, quemadmodum imperativus *ὄτρυνον* sic ad chorum sit referendus, ut per eum aliquid fiat, etiam imperativo *εἰπὸν* parem vim inesse, denique *eos* rectissime admoneri, ut regis memores sint, qui benigne velint ab illo excipi — haec, inquam, si deliberaveris, ad chorum *τὸ μεμνᾶσθαι* referre non jam dubitabis.

Quoniam supra exposuimus, quomodo ea, quae de Hierone dicta sunt, quamquam ad solum chorum pertineant, tamen animorum quadam imaginatione ab omnibus, qui audiebant, in se relata putemus, pari modo etiam alterum illud, cognoscere, num Boeotorum vitium in Pindarum cadat, audientium fuisse probabile est. Quo cum adjicimus choreutas fuisse nobiles amicos, aequi judicii viros, eosdem fortasse bonam partem Arcades, quibus ipsis placere poetae magnopere intererat, eo minus offensionis locus habebit. Sin autem, sicut Schmidtio visum est, chorum illum non epinicii sed hymni Aeneae esse censeas, non tam quid choreutae, quam quid ipse Aeneas judicaturus esset, Pindari interfuisse arbitror, praeterquam quod in certamine non alterutrius certantium neque choreutarum, sed aliorum judicium est.

Praeterea quamquam utriusque infinitivorum, qui a verbo *ὄτρυνον* pendent, eadem ratio est, tamen dubito an non ad alterum nova illius imperativi notio sit mente addenda. Cum enim ad primum infinitivum simplicem vim habeat impellendi, in altero tale quid postulo: O Metopa, favorem tuum et pietatem erga nepotem ostende, des verum judicium, fac sine ira et studio judicent, *animos eorum aptos et promptos redde ad vere judicandum,* tu enim hanc animorum regendorum facultatem habes, tu justus (*ὀρθός*) es internuncius et suavitatem carmini meo addere potes (*γλυκὺς κρατήρ*), quare me et carmen meum tibi libenter committo.

Dixerit quispiam: quid omnino prius illud imperium cum altero habet commune? ille hymnus in Junonem quid sibi vult, cum Metopa imploretur, ut animos faventes faciat? Cur Juno Parthenia potissimum cani jubeatur, omnino non apparet, ideoque de Mercurio Parthenio in ejus locum supponendo aliquamdiu cogitavi, ita ut pro *Ἥραν* scriberetur *Ἑρμᾶν*, simulacrum illi deo ad rivulum Partheniam in Pisaeorum regione fuisse suspicatus. Id si recte fecissem, aptissimum fuisset Mercurium gentis fautorem et ipsius victoriae auctorem hymno celebrare

eoque facto a Pindaro, qui postquam cantatus esset, tempus fuisset de Pindaro poeta judicandi num esset laudandus. Sed nimiae hoc audaciae esse cum viderem, hac mutatione abstinui et Junoni illum honorem non invidens idem alia ratione assequi sum conatus. Totum enim carmen ita est compositum, ut ipsa Agesiae et Jamidarum laus versu 81, sicut supra jam indicavi, confecta videatur. Deinde sequitur poetae cum Arcadia arcta necessitas, quae causa est, ut poeta se placiturum esse speret, deinde Hieronis et Syracusarum et secundae chori actionis mentio, tum adjuncta est de duplici choreutarum patria indicatio, postremo Neptunus invocatur, ut prosperum reditum faciat. Quae omnia alio spectare atque ipsum epinicium, facile perspicimus. Quae cum ita sint, quid obstat, quominus hanc poetae cogitationem fuisse putemus: quod meum erat, praestiti h. e. laudem absolvi, nunc Agesiae est cum amicis majorum vestigia sequentem deos illorum more venerari, ad quod Metopa incitet, de me judicare, Hieronis memorem esse? Quidni statuamus, etiam alterius carminis a Pindaro fieri mentionem et praeter hoc epinicium hymnum, non curo quam ob rem et cujus dei in honorem, a Pindaro conscriptum choro fuisse canendum? Utroque tum carmine cantato, quoniam nulla de re justum est ante finem judicare, Metopae erat animos audientium maxime Arcadum ita flectere et moderari, ut incorrupte et sine cupiditate animis conciperent neque laudare recusarent, siquidem a Pindaro Thebano confutata erat iniqua Boeotorum fama.

Denique quid de versibus inde a versu centesimo usque ad versum centesimum tertium judicandum putem, paucis libet exponere. Verba haec sunt:

ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ᾽ ἐν χειμερίᾳ
νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀποσκίμφθαι δύ᾽ ἄγκυραι. θεὸς
τῶνδε κείνων τε κλυτὰν αἶσαν παρέχοι φιλέων.

Sunt qui his verbis poetam significare putent, epinicium bis cantum iri, Stymphali et Syracusis, quo etiam magis poeta possit carmini suo bonum eventum sperare, quemadmodum ea navis in tempestate sit tutior, quae duabus ancoris teneatur.

Cui explicationi id favere videtur, quod paucis versibus ante Hiero comissationem Syracusas proficiscentem benigne excipere jubetur, neque per se illa sententia est improbanda; sed cum ea consideramus, quae versu qui proxime antecedit de duplici Agesiae et comitum patria dicta sunt, et Pindarum proximo versu utrisque h. e. Stymphaliis et Syracusanis prosperam fortunam optare videmus, nonne verborum ordinem turbaremus, si illam sententiam sequentes Pindarum spem suam mediam interposuisse diceremus? Quid quod poetam vitio non liberum judicaremus, quasi in indicanda spe sua fuerit nimius, quoniam versu 90 et in fine carminis: *ἐμῶν δ᾽ ὕμνων ἄεξ᾽ εὐτερπὲς ἄνθος* satis est in illa re versatus? Quare illam de duabus ancoris imaginem non possumus non ad sortem eorum referre, qui et Stymphali et Syracusis domum et civitatem habebant.

De carmine Phytico II.

Ex omnibus iis Pindari carminibus, in quibus interpretandis viri docti laborant, carmen Pythicum secundum haud scio an sit difficillimum. Quam difficultatem maxime in eo positam esse arbitror, quod quomodo altera pars inde a versu 72, quae primo obtutu novum videtur carmen esse et per se absolutum, cum priori parte cohaereat, non facile perspicitur. Longum est et extra angustos hujus opusculi fines positum exponere, quid cuique virorum doctorum de hoc carmine sit visum; quare mihi ignoscas, quaeso, quod statim de ipsa re, de qua mihi disserere proposui, verba faciam, de ea sententia dico, quae totum carmen complectatur, ad quamque singulae partes, ut recte intellegantur, sint revocandae. In quo, quoniam modo dixi duas partes carminis statui posse, primum anquirendum videtur, quid sit inter eas medium interpositum, quod eas conjungat et utrique possit lucem praebere. Atque prima quidem pars maxime in Ixionis fabula versatur, altera tota de calumniatoribus et obtrectatoribus invidis est atque malignis, media interposita est Hieronis laus; quae quomodo cum iis, quae antecedunt, conjuncta videatur nunc erit explicandum.

Postquam Pindarus Ixionis fabulam ad finem perduxit, dicit versibus 51 sqq. nihil esse, quod deus non possit assequi, qui et aquilam et delphinum velocitate praevertat et superbos dejiciat, alios contra optima fortuna impertiat. Quibus verbis poeta transitum facit a fabula ad res praesentes, alioquin ineptissimus esset. Illam enim Pindarus dicit dei potestatem, quae Ixionem exquisitis suppliciis affecerit, suo quoque tempore insolentiam confringere et fore, ut etiam in iis rebus valeat, quae ad Hieronem pertineant; nam ad ipsum Pindarum illam insolentiam referendam esse non facile possum mihi persuadere. At, pergit, mihi cavendum est, ne in invidiam incidam eorum, quos me offensurum verisimile est, si de insolenti illo, qui nunc exstitit, plura dicere velim; quare hanc rem missam facio. — Insolens autem ille quis est? Ne dicam Pindaro, poeta urbano, indignum esse Hieronem tali modo ab insolentia revocare, aliis compluribus rebus eo adducor, ut ea, quae de Ixione dicta sunt, alio spectare contendam; nam si Pindarum illud sibi proposuisse statueremus, qua ratione laudem Hieronis, imprimis verba versus 66: *βουλαὶ δὲ πρεσβύτεραι* etc. illis tantum non conviciis convenire, et quae de beneficiis grato animo referendis in initio carminis posita sunt, quemnam ad finem illa dicta esse putaremus? Nam neque Cinyrae et virginum Zephyriarum mentionem sine certo consilio a poeta carmini innexa esse arbitror, neque nihili esse, quod Ixion hominibus ingrati animi exemplum esse tam diserte dicitur versu 21: *Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα βροτοῖς λέγειν — τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι,* et iterum versu 41: *ἐν δ' ἀφύκτοισι γυιοπέδαις πεσὼν τὰν πολύκοινον ἀνδέξατ' ἀγγελίαν.*

Postquam igitur praeclara illa virtus duobus exemplis illustrata est, iis opponitur velut ad terrorem hominum ingrati et insolentis amentia, Ixionis, quocum poeta aliquem comparaturus, qui ab Hieronis fide et amicitia defecerat, subito se coercet, cum odium se fugere velle dicat. Polyzeli hic cum Hierone fratre simultatem poetae ante oculos obversatam esse et odium Theronis, apud quem et poeta et Polyzelus tum gratia multum valebant, Pindarum voluisse declinare si censes, equidem non impedio, quamquam pro certo hoc affirmare nolo. Poeta igitur non modo non est rusticus, sed ne in inimicos quidem Hieronis convicia aperte conjicere vult, in quo eum multo etiam elegantiorem judicabimus, si eum non aliorum hominum et sui commodi rationem habuisse, sed propter animum suum aequum et conviciandi insuetum amplius maledicere noluisse statuamus. Secundum vulgarem interpretationem verba versus 56: *τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον* opponuntur iis, quae de Archilocho modo dicta erant, et in versu 54 verba: *ἐν ἀμαχανίᾳ* vertuntur: in paupertate. Sed praeter quam quod poeta indignum est propter paupertatis metum conviciari non velle, meo judicio verba: *ἐμὲ δὲ χρεὼν — πιαινόμενον* velut in parenthesi interposita sunt, ita ut verba: *ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκ'* excipiantur verbis: *τὸ πλουτεῖν δέ* etc., et haec sit sententia: homines vani et insolentes a diis perduntur, alii gratia deorum valent, et id quod optimum homini a deo dari potest, sapientia est divitiis sive rebus secundis adjuncta: hac tu, Hiero, frueris, te igitur canam.

Jam de altera parte erit disputandum, quam sua causa poeta adjunxisse videtur, sed ita, ut arcte cum priori cohaereat, et cujus summa ea est, ut susurronum et obtrectatorum, qui Hieronem a poeta abalienare studebant, improbitas atque imprudentia vana et ipsis noxia castigetur; ad quod, quoniam Pindarus hic de sapientia Hieronis loquitur, occasio data est maxime opportuna.

Poeta igitur sapientiae esse contendit adulationibus et delationibus non moveri, sed de se quemque et de una quaque re ipsum judicare. Talis, inquit, o Hiero, erga me sis, qualem hucusque te praebuisti, cognita tua indole et bonam naturam secutus (*γένοι' οἷος ἐσσὶ μαθών*). Calumniatoribus te et adulatoribus esse circumdatum non ignoro, sed sicut saxum in mari et tanquam alter Rhadamanthus illabefactus eorum machinationibus obstabis — certe hoc sapientiae tuae est — cum scias et eum, qui aduletur, et apud quem aduletur, nihil nisi malum ex hac fallacia capere solere. Jam Pindarus in malignum illud et pravum obtrectatorum genus invehitur et primum quidem dicit nihil eos fraudibus suis assequi, quamvis sint astuti, et perversa pugnandi ratione uti, cum *εὐθύγλωσσοι* esse debeant et sicut Pindarus aperti aut amici aut inimici, quod si faciant, ubique eos usui futuros. Praeterea autem invidos illos cum diis contendere, qui sortes hominum distribuant, cum eorum potestatem non agnoscant et aequo plus appetant, quo fiat, ut ipsi sibi vulnera in pectora infligant, cum satius sit, jugum impositum aequo animo ferre. Quod autem poeta versu 89 dicit: *ἀλλ' οὐδὲ ταῦτα νόον ἰαίνει φθονερῶν*, primum invidos eosdem esse puto atque eos, qui obtrectant, deinde vocabulo *ταῦτα* non eas res contineri censeo, quae invidis fortuna contigerunt, sed id quod modo dictum est, penes deos esse hominum fortunam; verbum *ἰαίνει* autem non habet vim delectandi, sed mitigandi, deleniendi, sanandi.

Quodsi illi imprudentes Pindarum audirent, contenti essent sorte sua, neque quae ferenda essent ferre recusarent, neque cum diis litigantes invidia ipsi carperentur. Quibus dictis poeta carmen concludit orans, ut inimicorum doli irriti fiant sibique liceat sicut antea bonorum gratia

uti. Quoniam autem Hieronem ex bonorum, quos Pindarus dicit, numero fuisse probabile est, quia plerumque finem carminum ad eum potissimum spectare videmus, cui scripta sunt, in fine carminis eo revertitur, unde altera pars incipit: ne Hiero fraudibus se decipi patiatur. In quo mihi poeta eo videtur urbanior esse, quod et Hieronis se prudentia adeo confidere indicat, ut eum ab ipso abalienari posse ne cogitare quidem videatur, et inimicorum dolis tam intactum se praebet, ut eum imprudentiae et invidiae eorum paene misereat; quo fit, ut iis suadeat, si illa mala effugere velint, ipsius exemplum sequantur, honesti sint et sua sorte contenti.

Jam ut brevi complectar, quae sit sententia totius carminis, sapientiam dico Hieronis oppositam esse imprudentiae primum Ixionis, qui fortuna obcaecatus ultro in perniciem irruit, et alicujus insolentis, cujus Ixion exemplum est, deinde delatorum et obtrectatorum, qui sua invidia pectus sibi dilacerant. Atque cum in priori parte poeta Ixionis fabula sit usus, mediam interposuerit, ut Hieronis sapientiam laude majorem praedicaret, ejus cum Rhadamantho similitudinem, delatores illos et invidos, utpote genus malignum et detestabile, satis habet cum simiis et vulpibus componere.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung

während des Schuljahres von Ostern 1870 bis ebendahin 1871.

Prima.

(Ordinarius: Dr. *Collmann.*)

Griechische Sprache. Homer's Iliade XIX—XXI (Sommer); XXII—XXIV (Winter) 1 Stunde wöchentlich; Lyriker nach Stoll (S.), Sophocles Oedipus rex (W.) 2 St. w. (Pf. *Dithmar*); Demosthenes Olynth. I—III; de pace; Philipp. II; daneben von Lysias drei Reden; Grammatik nach Berger: zweite Hälfte der Syntax (Moduslehre); schriftliche und mündliche Uebungen nach Böhme u. n. Dictaten 3 St. w. Die Privatlectüre betraf hauptsächlich Homer und Xenophon (Dr. *Collmann*).

Lateinische Sprache. Horatius Oden 1. u. 2. Buch mit Auswahl (S.), Satiren I. 1. 6. 9. II. 1 (W.) 2 St. w. (Dr. *Münscher*); Cicero de off. I. 1—29; Tacitus Ann. I. 1—50; daneben Cic. p. Archia u. de imp. Cn. Pomp. (Repetition) (S.); Cicero in Verr. IV. 1—47; de or. I. 1—46; daneben Cic. in Cat. I u. II., p. Rosc. Am. (Repetition) und Cic. in Verr. IV. 48—Ende (W.). Loci memor. 39—56 nebst den versus memor.; Synonyma repetiert 5 St. w.; schriftliche und mündliche Uebungen nach Süpfle II, jede Woche eine, sowie auch ein Extemporale; Stilistik n. Berger §. 75—101 2 St. w. Die Privatlectüre betraf Horaz, Cicero und Tacitus Germania (Dr. *Collmann*).

Themata für die lateinischen Aufsätze: 1) De Psammeticho Aegyptio. 2) De Cyro, rege Persarum. 3) De viris illis, quos Horatius 12mo libri primi carmine laudibus effert. 4) De bello punico secundo. 5) De bello illo quod Trojanis intulerunt Graeci (Aufgabe für die Abiturienten). 6) De Solone Atheniensi. 7) De pugna ad Thermopylas commissa. 8) De Pericle Atheniensi. 9) Philippus, Amyntae filius, regnum Macedonum et restituit et auxit (Dr. *Münscher*).